propter naturae varietatem fructum producere diversum : nam apis favum mellis , araneus venenum, et virus elicit. Arca testamenti, huius divini sacramenti figura , trium mensium spatio apud Obededom hospitio excepta, ipsi, et domui eius magnam attulit utilitatem , et felicitatem , ut constat ex Scripturae verbis , aientis (1. *Reg.* 6) : *Et benedixit Deus Obededom, et omnem domum eius;* eadem tamen arca septem menses apud Philistaeos commorante, non solum benedictionem Dei non acceperunt Philistaei, sed graviter a Deo maledicti, supplicia divinitus immissa subierunt. Cuius differentiae nulla alia ratio fuit, nisi hospitii dissimilitudo, quoniam Obededom magna cum reverentia , Philistaei ita irreverenter arcam Dei susceperunt, ut illam in eodem altari, ubi erat eorum Idolum, locaverint. Ita nunc divinum hoc sacramentum *Mors est malis, vita bonis* , propter diversam illorum dispositionem, et reverentiam inaequalem , qua illud assumunt: quidam enim Deo grati humiliter , et reverenter , sicut Obededom ; alii Deo invisi, sicut Philistaei, divinum hoc sacramentum collocant intra pectora plena peccatis , et vitiis, quae ab ipsis non secus coluntur, quam Idola. Huiusmodi hominibus ita indigne ad Eucharistiam accedentibus, vita huius sacramenti mors est, sicut bonis vera vita. In quo sensu interpretor verba Exodi , ubi dum agitur de panibus propositionis , qui typus sacri huius panis fuerunt , vulgata editio habet : *Panis propositionis :* et textus Hebraeus legit: *Panis facierum;*ex qua translatione quamvis dici optime queat, *Panem facierum* appellari hoc sacramentum, quia Christus ibi absconditus faciem Dei, et hominis habet; est tamen magis e re nostra , si dixerimus , hoc sacramentum ideo nominari *Panem facierum*, quoniam puris, et bonis ostendit Christus in hoc pane vultum placabilem, impuris, atque indignis horribilem, esique illis mel dulcissimum, his fel amarissimum: ac denique, ut dicit d. Thomas: *Mors malis, vita bonis.* Similis huic cibo fuit virtus verborum Christi , dicentis (*Mar.* 14) : *Ego sum*, quae verba venientes ut ipsum comprehenderent, terruerunt, ac prostraverunt; discipulos autem erexerunt, et roborarunt, cum dixit (*Mat.* 14): *Ego sum, nolite timere.* Quemadmodum igitur illud , *Ego sum*, variam habuit virtutem pro qualitate eorum, quibus dictum fuit; ita hic divinus cibus non aliud est, quam quod nostra dispositio meretur, ut sit: nam si dispositio est mala, *mors est malis;* si bona, *vita bonis: Vide paris sumptionis, Quam sit dispar exitus.*

HOMILIA XXII.

Variis locis sacrae Scripturae veritatem existentiae corporis Christi in hoc sacramento denuo comprobamus , ac de necessaria munditia ad eius receptionem nonnulla tradimus.

Eximiam huius mirabilis sacramenti difficultatem , praeter omnia superius dicta, non obscure mihi indicare videntur verba illa Sponsae (*Cant. c.*2): *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Non me latet d. Gregorium (*super hunc loc.*) parietis nomine intelligere Christi humanitatem , sub qua divinitas delitescebat: ad quem parietem quidam non infimi nominis auctores se convertisse regem Ezechiam autumant, quando, ut ait sacer textus,*Conversus ad parietem, oravit Dominum.*Alii tamen perdocti expositores hunc locum interpretantur de Christo Domino sub pariete accidentium panis et vini latitante: *En ipse stat post parietem nostrum.* Quibus verbis innuit Sponsa, quam absconditus adsit Christus in hoc sacramento, cum comparet illum cum existente post parietem , qui a nemine videri potest. Cui interpretationi consonant verba Isaiae (*cap.* 53): *Vere tu es Deus absconditus.* Certe Deus, ut auctor naturae est, licet comprehendi non possit, absconditus tamen non est lumini naturali, Apostolo dicente: *Invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Quamvis etiam arcana Dei consilia abscondita sint, saepe tamen amicis Dei patent ex divina liberalitate: unde Dominus dicebat: *Numquid potero celare Abraham quod facturus sum?* Prophetis etiam persaepe abditissima sua secreta aperiebat : in caelesti deinde patria , quamvis beati non cognoscant Deum quantum cognoscibilis est, clare tamen vident omnem entitatem tam absolutam, quam relativam ad intra , ut loquuntur Theologi , iuxta illud Ioannis (*c.* 3): *Cum apparuerit, similes ei erimus,quia videbimus eum sicuti est.* Quid plura ? Quamvis Apostolus (*ad Ephes.* 3) loquens de Verbo incarnato , vocet investigabiles divitias Christi, et mysterium absconditum a saeculis ; quaedam tamen adeo divina opera Christus Dominus patrabat ad confirmandam veritatem suae divinitatis , nimirum revelationem cogitationum cordis, mortuorum resurrectionem, et portentosa alia miracula, ut ex illis haud difficile deprehenderetur non purus homo, sed pariter Deus esse. Ac tandem, ut plura paucis comprehendam , absconditus erat Christus in portico Bethlehem, sed angeli canentes (*Luc.* 2): *Gloria in Altissimis Deo*, et pastores divino lumine illustrati festinanter ad praesepium adeuntes , latentem infantis divinitatem detegebant. Absconditus erat circumcisionis vulnere cruentatus , quod solum peccatoribus infligi solebat , sed ibi eius divinitas manifestatur, dum ei nomen Iesu imponitur , quod *Salvator* interpretatur. Absconditus

adhuc latebat intra bethlehemiticam speluncam, et ecce reges ad illum, tanquam Deum, et hominem adorandum e longinquis regionibus adventarunt. Ubi denique magis absconditus Deus, quam in abiectissimo crucis patibulo mortem sustinens ? Innumera tamen prodigia, ut solis obscuratio , petrarum scissio , monumentorum reseratio, corporum resurrectio ita aperte divinitatem eius contestata sunt, ut Centurio illa observans, in ea prorumperet verba (*Matth.* 27): *Vere Filius Dei erat iste.* Itaque quamvis Christus, in quantum Deus , et quatenus homo absconditus fuerit, non tamen semper prospiciebat per cancellos , ita ut videri non posset, sed quandoque respiciebat per fenestras , per quas et videbat , et videbatur. In hoc tamen abditissimo Eucharistiae sacramento : *En stat post parietem, prospiciens per cancellos ;* numquam tamen respicit per fenestras adeo, ut etiam supremus seraphinus totum conatum suae naturalis facultatis adhibens, secretissimum hoc mysterium intelligere non valeat.Verbis enim consecrationis tam mira inest virtus , ut substantiam panis in corpus Christi convertant, nulla prorsus in pane externa, et sensibili mutatione facta, unde conversio substantiae panis in corpus Christi quoquomodo subodorari possit.Parva deinde quantitas modici panis, et quaelibet etiam minima particula, magnae molis integrum Christi corpus capit , accidentia sine subiecto illa sustinente, natura mirante conservantur: fractis speciebus non dividitur, nec frangitur Christi corpus; deficiente substantia panis, non minus cibat hostia consecrata, quam si panis substantia adesset: ac tandem Christus Dominus coeli cacumina tenens,ab eo nunquam recedens, substantialiter adest, secundum realem, ac veram praesentiam in singulis hostiis per universum orbem consecratis. Haec , et alia pene innumera prodigia, quae in hoc latent sacramento, obscurum adeo illud reddunt, ut si sensus ad eius veritatem attestandam accersantur, sententiam suam contra illud incunctanter proferent: visus testatur se panem videre ; auditus cum frangitur hostia , panis rupti fragorem sentit; odoratus panis odorem se percipere ait; gustus panis saporem se degustare non diffitetur; tactus denique panem tangere certo sibi suadet. Quod si intellectum iudicem constituamus, sane , cum eius cognitio ortum ducat a sensibus , adeo ut Aristoteles dicat (*lib.* 3. *de anim. cap.* 4): *Nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu,* nisi alioquin superno lumine divinitus illustretur, sensuum sententiam latam confirmabit. Atque hoc humanae rationis iudicium sequentes olim Hebraei, audientes Christum dicentem (*Ioan.* 6): *Caro mea vere est cibus*, continuo dixerunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum ?* Immo,et Discipulos d.Ioannes testatur, verba illa protulisse:*Durus est hic sermo,et quis potest eum audire?*Refert Plutarchus (*in l.de curios.vitand.*), Athenis Ægyptium afferentem rem quandam pallio involutam , dum a graeco quodam interrogaretur, quid illud esset, quod pallio coopertum portabat, respondisse , *ideo obvelatum est, ut tu nescias.*Non secus placuit Christo Domino ita se obvelare sub pallio specierum panis , et vini , ut non solum sensus quantumcumque perspicax , sed nec disertissimus intellectus , etiam angelicus solis viribus naturae illud percipere valeat. Quare opus nobis est, divum Paulum imitari, ut sicut ille cum a iudice Festo dissonam contra se sententiam ferri audiret , ad Caesarem appellavit , dicens (*Act.* 25): *Caesarem appello, ad Caesaris tribunal sto, ibi me oportet iudicari ;* ita et nunc nobis factitandum est, cum sensus , et intellectus naturali solum suo lumini innitentes, sententiam tulerint contra veritatem praesentiae Christi , et absentiae panis in hoc sacerrimo sacramento, ad tribunal Ecclesiae catholicae nobis appellandum est : illa enim veram sententiam feret, ut re vera illam tulit per varia Concilia, praesertim tamen per sacrum Concilium Tridentinum (*sess.* 13. *c.* 1) : sicut enim olim subobscurum illud aenigma proponente Sansone (*Iud.* 14), *de comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo* , omnes illud ignorarunt , quousque Dalila eius sponsa illud propalavit eis: unde i pse Samson dixit illis: *Si non arrasseris in vitula mea, non cognovisseris propositionem meam;* non dissimiliter si Ecclesia catholica dilecta Dei sponsa nobis tamquam veritatem a Deo revelatam, et a Christo Domino prolatam non proposuisset , certe propositio illa , *Caro mea vere est cibus* , omnino nobis ignota esset. Verba autem, quibus Ecclesia catholica in praecitato loco Concilii Tridentini (*ses.* 13. *c.* 1) , varia huius sacramenti mysteria nobis reserat,haec sunt:*Principio docet sancta synodus, et aperte ac simpliciter profitetur in almo sanctae Eucharistiae sacramento post panis, et vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum , atque hominem vere, realiter , ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri.*His quidem verbis tot Haereticorum deliramenta confutantur, quot catholica dogmata in eis continentur. Docet enim primo Concilium, post consecrationem Christum adesse huic sacramento , quod negant Lutherani ; docet deinde virtute consecrationis fieri hanc praesentiam Christi sub speciebus contra haereticos Ubiquistas,qui eo, quod verbum ubique adest, putant corpus illi unitum ubique etiam adesse ; docet rursus Concilium, substantiam corporis Christi vere, hoc est reipsa, et non in signo, et figura esse in hoc sacramento, cuius contrarium impie venditant sacramentarii: ait praeterea Concilium, Christi corpus realiter hic adesse , ut confutet errorem Calvinistarum asserentium solum esse hic, prout fide apprehenditur, quod et affirmare non fuit veritus Zuinglius in confessione ad Carolum , ut auctor est Beza (*in lib. de coena Dom. cont. Ucestaphalum c.* 9). Addit tandem Concilium substantialiter adesse Christum sub speciebus , tum ad refellendum commentum quoddam Calvinistarum, somniantium sub speciebus adesse quandam virtutem, seu vigorem a Christo in accidentia panis dimanantem , non vero propriam eius substantiam; tum , ut manifestaret modum existendi Christi non esse per modum extensionis in ordine ad locum , sed per modum substantiae

spiritualis: unde substantia corporis Christi tota est in tota hostia, et tota in qualibet parte.

Ceterum iam nonnulla, quae de hoc abditissimo sacramento divina commemorant eloquia, in medium producamus. Apud sanctum Iobum quaedam singularia verba reperio, a quibus exordiri placet: supponendo tamen ex doctrina d. Gregorii (*lib.* 27. *in Iob. c.* 1), quod Helihu alioquin coelestis cum multa moraliter dixisset, ad prophetiae arcana se conferens, multa coepit prophetare. Unde ad Iobum dixit: *Memento quod ignores opus eius, de quo cecinerunt viri.* Quidam Doctores non infimi nominis per hoc opus intelligunt sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quod merito opus Dei per antonomasiam nuncupari meretur, eo vel solo nomine, quod compendium sit, et epilogus mirabilium operum Dei, iuxta illud (*Ps.*100): *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, et miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Primum ergo quod ait Helihu ad Iobum, est: *Memento, quod ignores opus eius:* quibus verbis obscuritatem huius sacramenti, quod seraphinorum etiam naturalem intelligentiam, ut super dicebam, longe superat, non obscure significavit. Unde cum Isaias vidit Dominum sedentem super solium excelsum, et quod seraphini alis suis velabant faciem, et pedes eius, non incongrue putaverim significare voluisse mysterium Incarnationis, quod caput fuit, et initium Christi in quantum homo, necnon mysterium Eucharistiae per pedes adumbratum, quia in fine vitae suae illud instituit. Haec igitur duo mysteria, ut seraphini significarent reliquis obscuriora, alis suis faciem, et pedes Christi velabant. Addit tamen Iob ad hanc obscuritatem, et difficultatem superandam multa a clarissimis viris praedicta fuisse: *de quo cecinerunt viri.* Sane si referre tentarem omnia, quae antiquorum posteritas de hoc mirabili sacramento decantavit, insipientis hominis provinciam assumerem; nonnulla tamen eorum commemorare, quibus huius sacramenti veritas magis constabiliatur, non insipienter adnitar. Scalam illam, quam vidit Iacob, attente contemplatus, videor mihi videre sacram Eucharistiam in ea delineatam; ut enim per scalam sursum, ita per hoc sacramentum Christo incorporati, iuxta illud, *in me manet, et ego in eo*, Christo ascendente in coelum, nos etiam illi innitentes, ascendimus; ad quod ipse alludens, dixit (*Ioan.* 3): *Non ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, filius hominis, qui est in coelo.* Et sicut illius scalae tanta erat magnitudo, ut sum mitate sua coelum tangeret, extremitate vero terram contingeret; ita in hoc sacramento adest divinitas Christi, quae coelum, et humanitas, quae terram contingit. Unde sicut ibi Iacob, expergefactus a somno dixit: *Vere Dominus est in loco sancto isto, et ego nesciebam. Hic nihil aliud est, nisi domus Dei, et porta coeli,* ita intellectus humanus ab infidelitatis somno excitatus, et fidei lumine illustratus, firmiter confitetur: *Vere Dominus est hic.* Vere Christus Redemptor noster adest in hoc sacramento, quod propterea domus Dei iam vocitari meretur, quae antea domus panis erat, necnon etiam porta coeli, cum Christus Dominus de se ipso dixerit (*Ioan.* 10): *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur:* ac tandem sicut per illam scalam vidit Iacob angelos ascendentes, et descendentes, ita facta consecratione cum primum incipit adesse corpus Christi sub speciebus, permulta angelorum agmina illum circumdant, ut testantur d. Gregorius (*4. dial. c.* 38), d. Ambrosius (*in cap.* 1. *Lucae*), necnon et s. Nilus discipulus d. Chrysostomi, qui de illo haec verba habet: *Saepe vidit in Ecclesia angelos, sed maxime tempore sacrificii Missae: illaque admiratione, et laetitia plenus amicis multum spiritualibus seorsum narrabat, quemadmodum cum sacerdos oblationem sanctam facere inciperet, plurimi angeli e coelo delapsi splendidissimis stolis induti, nudo pede, aspectu intento, vultu demisso circumdantes altare, magna reverentia, et quiete, ac silentio, usque ad mysterii consummationem assistunt. Deinde discurrentes huc, atque illuc per totam ecclesiam, episcopos, et praesbyteros, qui corpus, et sanguinem distribuunt, adiuvant, et corroborant*; hactenus s. Nilus. Simile etiam quidpiam legimus apud bibliothecam sanctorum Patrum (*to.* 3), et apud Surium 20. die Ianuarii, necnon apud Lythurgiam s. Iacobi asserentem in hoc sacramento Regem regum adesse magna angelorum illum comitante caterva. Deinde ascensus, ac descensus angelorum per illam scalam Iacobi praesignificare mihi videntur, per humilitatem nos descendere debere, ut ad huius sacramenti susceptionem disponamur; post sumptionem tamen ita proficere opus esse, ut per continuum virtutis incrementum semper magis, ac magis ascendamus. Ac tandem angeli, et non homines ascendunt, et descendunt per illam Iacobi scalam, ut admoneantur ministrantes, et recipientes hoc divinum sacramentum angelicam vitam opus esse agant, angelicam puritatem, quoad fieri possit, aemulantes.

Ad haec, figuram aliam hoc sacramentum adumbrantem reperio, pro qua supponendum est id, quod in omnium ore versatur, nimirum, quod sicut in perditione generis humani haec quatuor concurrisse observantur: hominem inobedientem, mulierem superbam, arborem nocivam, ac cibum mortem inferentem; sic in reparatione eiusdem quatuor illis e diametro contraria fuisse reperimus, hominem scilicet obedientem: *Factus obediens usque ad mortem;* feminam humilem: *Quia respexit humilitatem ancillae suae:* crucis arborem: *Arbor una nobilis, nulla silva talem profert.* Cibum tandem vitam conferentem omnino contrarium mortifero illi cibo, quia si ille mortem sempiternam dabat, hic vitam aeternam communicat: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Hoc supposito, certe, sicut olim satanas mediante cibo humanum genus perdidit, ita Christus mediante cibo carnis suae illud restaurat; et sicut antiquus hostis non alio ense, quam cibo hominem vicit, et iugulavit, sic Christus Dominus non alio bellico instrumento, quam victricis carnis suae solidissimo cibo daemonem superavit, et cum ingenti eius confusione, et dedecore foras illum eiecit: *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* In cuius

egregii facinoris memoriam caro Christi servatur in Ecclesia accidentibus panis, et vini involuta, ut non immerito Christo Domino contigisse putaverim, quod olim Davidi, qui cum in certamen descendisset, cum Philistaeo, ubi funda, et lapide caput eius percussit, proprio gladio, quem ex vagina Philistaei eduxit, caput amputavit; in cuius praeclari facti perpetuum monimentum gladius ille servatus fuit in sanctuario, involutus pallio ex lino albo contexto. Non secus Christus Dominus sumpta carne de massa generis humani quod antiquus hostis perdiderat, eadem, tanquam potentissimo gladio, caput eius contrivit; et ne tanti operis memoria e mortalium animis aboleretur, divino consilio factum est, ut sacer hic carnis Christi gladius sub albo pallio accidentium panis usque in finem saeculi asservetur, iuxta illud (*Matt. cap.* 28): *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

His adiungo visionem illam mirabilem Ioannis videntis librum scriptum intus, et foris, signatum sigillis septem. Scio Bedam, Ansuertum, Aymonem, Ambrosium, Primasium, Thiconium, et Rupertum, per hunc librum intelligere sacram Scripturam, quae propter magnam doctrinae copiam, quam continet, vocatur liber intus, et foris scriptus, alludendo ad antiquas membranas, quae ante, et retro scriptae erant, quas veteres vocabant, Epistographos, ut auctor est Plinius (*lib.* 13. *epistol. ad Nac.*) dicens: *Electorum commentarios centum sexaginta mihi reliquit, epistographos quidem, et minutissime scriptos.* Per septem autem sigilla, Rupertus ait, significari septem praecipua Christi mysteria; incarnationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis, missionis Spiritus sancti, et adventus Christi ad iudicandum. Verum aliorum expositionem sequens, per librum illum intelligo sacerrimum hoc Eucharistiae sacramentum; quam intelligentiam non parum consonam arbitror verbis sequentibus, quibus angelus dixit Ioanni (*Apo. c.* 10): *Accipe librum, et devora illum:* ipseque Ioannes fatetur se illum comedisse, et suavem nimis fuisse eius gustui: *Devoravi illum, et erat in ore meo tanquam mel dulce*; quod miram huius cibi suavitatem portendit. Quod autem subiunxit, *Et venter meus amaricatus est,* huic sacramento satis congruit: nam cum sit quaedam commemoratio passionis Christi, Apostolo dicente: *Quoties manducabitis panem hunc, mortem Domini annuntiabitis:* non potest pius recipientis animus acerbam Christi mortem in memoriam revocans, non amaricari, ut verbis d. Ioannis utar. Deinde, sicut ibi angelus dixit Ioanni: *Accipe, devora:* sic dicentem Christum audimus (*Matth.* 28): *Accipite, et manducate:* et sicut liber ille scriptus erat intus, et foris, non dissimiliter mysticus hic Eucharistiae liber intus habet latentem eum, qui dixit (*Apoc. cap.* 1): *Ego sum alpha, et omega,* hoc est, principium, et finis; foris vero non aliam praesefert subscriptionem, quam panis, quae quanto longe diversa est ab eo, quod sub illa latet, tanto difficiliorem reddit internam scripturam. Quod probe agnoscens d. Ioannes, observavit, librum illum, quem viderat, in symbolum huius sacramenti, septem sigillis signatum esse, per quae apte satis intelligo septem singularissima arcana, quae miram huius sacramenti difficultatem non obscure indicant. Primum sigillum est, panem conversum fuisse in substantiam Christi. Secundum, Verbum divinum incarnatum hic adesse, et propter essentialem identitatem cum illo praesentem esse Patrem, et Spiritum sanctum. Tertium, quod Christus Dominus quantitatis septem palmorum continetur sub qualibet minima particula hostiae. Quartum, quod idem corpus simul sit in coelo, et in terra. Quintum, accidentia manere sine subiecto, et cum eadem virtute operativa quam antea. Sextum, quod haec portenta fiant per virtutem divinitus inditam verbis sensibilibus consecrationis. Septimum, quod ipse, qui nos invitat ad manducandum, carnem suam praebeat in cibum, et sanguinem suum in potum, iuxta illud (*Ioan.*6): *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus:* unde ipse simul est conviva, et convivium. Ut autem ad vincendas difficultates per septem illa sigilla significatas, d. Ioannes ruditatem nostram instrueret, ad omnipotentiam Dei confugere docet, consulto dicens librum illum sacram Eucharistiam significantem, visum fuisse ab illo in dextera sedentis in throno; nomine autem dexterae omnipotentiam denotari, nemo ambigit, iuxta illud (*Psal.*76): *Haec mutatio dexterae excelsi:* quae verba, ut id obiter dicam, satis verificantur de mirabili mutatione panis in carnem Christi, cum non nisi ab omnipotenti dextera Dei fieri potuerit.

Ceterum praeter omnia dicta, alii multi viri de hoc sacramento cecinerunt, ut dixit Iob praecitato loco. Quod, ut altius repetamus, verba illa Moysis in persona Dei dicentis, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo,* in memoriam revocemus, quae licet vindictam, et iustitiam redolere videantur, summa tamen in eis latitat misericordia, iuxta Davidicum eloquium: *Cum iratus fueris, misericordiae recordaberis.* Omnipotens enim Deus, omnia providens, et praevidens ab aeterno, ut docet d. Thomas (3. *p. q.* 1. *art.*3), praenoscens, se assumpturum carnem humanam, et instituturum hoc sacramentum Eucharistiae, voluit ab initio constructionis mundi subobscuram saltem, et implicitam quandam eius mentionem facere, dicens: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo:* per vultum enim Christus significatur; unde Moyses desiderans illum videre, aiebat (*Exod.* 33): *Domine ostende mihi faciem tuam.* Meritoque nomine vultus, et faciei Christus Dominus intelligendus venit: nam quemadmodum per faciem hominem cognoscimus, sic per Christum in Patris cognitionem devenimus, iuxta illud (*Ioan.*14): *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum.* In sudore ergo huius vultus vescimur isto suavissimo pane: nam pridie quam pateretur, in nocte coenae, passione proxima, hoc instituit sacramentum, copiosumque sanguinem mox sudavit.

Rursus huc facere opinor locum illum Levitici (*c.*26): *Comedetis vetustissima veterum, et vetera novis provenientibus proiicietis;* quod non

difficile mihi persuadent verba illa antecedentia (*ibid.*): *Comedetis panem vestrum in saturitate:* nullus autem panis, nisi hic, qui de caelo descendit, satiare valet animam, quo supposito nihil sane vetustius excogitari potest, quam sapientia divina, ipsa dicente (*Prov.* 8): *Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret.* Panis etiam inter res creatas satis vetusta res est, cum ab exordio mundi coeperit. Antiquae etiam huius sacramenti figurae non parum veteres sunt. Sumentes igitur hoc sacramentum, in quo aeterna Dei sapientia incarnata delitescit, vetustissima comedimus, pariterque proiicimus vetera, hoc est, non solum veteres figuras sacramentum istud adumbrantes, sed etiam substantiam panis, quae prolatis verbis consecrationis prorsus desinit esse.

Praeterea insignis est locus ille Deuteronomii (c. 25): *Quem libertate donaveris, nequaquam vacuum abire patieris, sed dabis viaticum de gregibus, area, et torculari;* quae verba de hoc divino sacramento interpretatur d. Cyrillus Alexandrinus (*lib.* 2. *de ador.*) dicens: *Vides vim mysterii Christi in his splendescere: liberavit enim nos gratis; postquam vero liberos nos fecit, apposuit seipsum viaticum, concedens, ut vivificam benedictionem participaremus, carnem, inquam, suam, et sanguinem.* Hoc autem sacramentum viaticum esse iustis, nemo ignorat, cum iam moribundis tamquam viaticum, instar illius panis, qui datus est Heliae, frequenter exhibeatur, ut perveniant usque ad montem sanctum Dei Oreb.

Sed neque locum illum celebrem Oseae silentio praeterire fas est: *Convertentur sedentes in umbra eius, vivent tritico, germinabunt quasi vinea, memoriale eius, sicut vinum Libani.* Hunc locum magnus Rabbi David, ut auctor est Guido Fabritius (*libro de sacra Synaxi, Epistola prosphonetica*), de hoc sacramento intelligit, dicens: *Sunt, qui exponunt haec verba: Vivent frumento, quoniam futura est mutatio naturae per frumentum, cum venerit Redemptor;* et paulo post subdit: *Meminerunt praeceptores nostri, quorum fausta, felixque sit recordatio, mutationis naturae, quae futura est per triticum;* hactenus ille: quo nihil clarius, et illustrius desiderari potest ad convincendos perfidos Iudaeos, cum ante adventum Christi, ipsimet Hebraei alias doctissimi confiteantur, mutationem tritici faciendam esse, quam nunc sancta profitetur Ecclesia quotidie fieri, cum panis triticeus convertitur in substantiam Redemptoris, quam mutationem sacrum Concilium Tridentinum sapienter nuncupavit transubstantiationem; quod vocabulum, licet novum sit, res tamen per illud significata vetusta adeo est, ut ante Verbi divini Incarnationem illam praenoverit insignis Rabbi Chanaa, qui exponens locum illum Genesis (c. 29): *Rubriores sunt oculi eius vino et dentes eius lacte candidiores,* in hunc modum loquitur: *Hoc sacrificio, quod fiet ex pane, non obstante, quod album sit, velut lac, convertetur substantia in substantiam corporis Messiae, eritque in ipso sacrificio substantia corporis Messiae rubra, ut vinum:* ecce traditam ab hoc doctore Hebraeo germanam definitionem transubstantiationis, dum vocat illam, conversionem substantiae in substantiam.

Illud etiam praedictam intelligentiam illius loci apertissime confirmat, quod tanquam admirabile quoddam refert futurum esse, ut homines tempore Messiae tritico viverent: quod nullum sane prodigium esset, si de tritico materiali, et non de sacerrimo hoc sacramento per triticum significato sermonem faceret. Verba autem illa eiusdem loci, *germinabunt quasi vinea*, mirabilem huius sacramenti effectum indicant: nam, cum Christus sit vitis, iuxta illud (*Ioan.* 15): *Ego sum vitis vera,* et nos palmites simus, illi uniti media virtute huius sacramenti; hinc est, quod instar foecundae vineae multiplices bonorum operum fructus germinamus. Meminit tandem vini Libani, quia illud erat valde odoriferum, et confortativum, ut significaret, sumentes hoc sacramentum, et suavem vitae odorem emittere, et ad vincendas difficultates, fortiores, et robustiores reddi.

Accedit ad haec omnia locus ille Isaiae (*cap.* 3), ubi enarrat, quod cum cives cuiusdam urbis voluissent eligere virum quendam in regem suum, ille regalem dignitatem respuens, dixit: *Non sum medicus, et in domo mea non est panis, neque vestimentum; nolite me constituere principem populi.* Non defuerunt, qui putarunt, imprudentem fuisse hanc responsionem, quatenus excusavit se a suscipienda regia dignitate, eo quod medicus non esset, cum tamen nihil magis alienum a regibus, quam medicinae peritos esse. Ceterum, non recte iudicarunt, quia tria, quae ille commemoravit, apprime necessaria sunt regi; nimirum, ut necessitatibus subditorum, quae instar vulnerum, illos graviter sauciant, medeatur, famelicos cibet, nudos cooperiat, ac tandem communis omnium pater sit. Quo supposito, nemo catholicus ignorat, Christum Dominum esse Regem regum, et Dominum dominantium, ut in femore eius scriptum vidit d. Ioannes. Munus autem hoc regis ut adamussim impleret, medicus fuit, iuxta illud (*Psal.* 102): *Qui sanat omnes infirmitates tuas.* Virtutum vestimentis nos induit (*Ezech.* 16): *Vestivi te discoloribus.* Ac tandem frumenti copia nos replevit, relinquens nobis carnem suam sub specie panis; idque abundanter adeo, ut d. Thomas cecinerit (*in suo Hymno*): *Sumit unus, sumunt mille, quantum iste, tantum illi; Nec sumptus consumitur.* Quae autem unquam tanta fuit panis copia, ut tandem non consumeretur, nisi in hoc mirabili sacramento? Unde sapienter Rupertus (*lib.* 3. *in Exod. c.* 13) observans tantum sanare posse animam unam hostiam, quantum permultas simul, sapienter dixit: *Firmiter tenendum est, quod non pro quantitate portionis, quam quisque ore percipit, secundum visibilem speciem panis, et vini, alius plus, alius minus consequitur de gratia vivificantis spiritus: sicut enim Adam, cuius nos iniquitatem portamus, non pro quantitate morsus sui, sive pomi, quod momordit, sententiam, et damnationem iustam accepit; tantumque illi valuit, pomum unum momordisse, quantum si quidquid pomorum in arbore illa fuisset, devorasset; sic e contrario unusquisque nostrum non pro quantitate portiunculae vivifici panis, quae illic frangitur, quam ore sumit, aut dentibus terit, gratiam, et vitam accipit.*

Ad extremum, duo erga hoc sacerrimum sacramentum valde adnotanda sunt. Primum est, immensa Christi Domini liberalitas, et magnificentia, quae adeo praecelluit, ut divinitatem, et humanitatem suam, quibus nihil excellentius, et pretiosius excogitari, immo nec fingi potest, nobis donarit; in quo praeter munificentiam, prudentiam pariter ostentavit. Ad cuius intelligentiam placet in medium producere celebre illud famosi illius pictoris Zeuxis factum, id referentibus Plinio (*lib.* 31. *c.* 9), et Aeliano (*lib.* 4. *de var. histor.*), qui postquam quasdam imagines depinxerat, perfectas adeo, ut in eas videretur omnes suae artis divitias effudisse, noluit eas venales facere, sed dono dedit; quod iudicaret, nullum pretium ab emptore exhibitum earum valorem aequare posse. Ad eundem quidem modum, postquam Christus Dominus pulchram hanc sacrae Eucharistiae imaginem tanto artificio efformaverat, ut quamvis in illa appareat panis figura, panis tamen substantia non adsit, sed substantia corporis Christi: videnque in hac mira imagine divitias divinae sapientiae, et potentiae suae effudisse, infiniti valoris esse agnovit; et ideo tanquam rem inaestimabilem gratis illam donat. Ad quod videntur alludere verba illa: *Emite absque ulla commutatione:* quod enim absque ulla commutatione emitur, manifeste satis constat donari. Secundum vero, quod adnotandum duxi, illud est, quod cum alioquin omnes catholici miram huius sacramenti excellentiam confiteantur, paucissimi tamen, ut oportet, ad illud sumendum accedunt. Certe Concilium Elibertinum, ut refertur (*de consecratione dist.* 2), tantam desiderat sanctitatem in sacram Synaxim recipientibus, ut etiam uxoratos velit ab actu licito matrimonii ante illius sumptionem se abstinere: verba illius sunt haec: *Omnis homo ante sacram Communionem a propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus;* eandemque doctrinam docet d. Hieronymus (*in apologia ad Pammachium*) dicens: *Illorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum communicant.* Idque praefigurasse mihi videtur, quod contigit Davidi, ut (*lib.* 1. *Regum cap.* 21) legimus: cum enim postulasset ab Abimelech sacerdote panes, ille sacros ei obtulit, percontatus tamen prius: *An mundi essent pueri, maxime a mulieribus;* cui respondit David: *Et quidem, si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri, et nudius tertius.* Petere ergo sacerdotem abstinentiam ab uxoribus ad comedendos panes sanctos propositionis, quid quaeso aliud aptius praefigurare potuit, quam decentem valde esse coniugibus huiuscemodi continentiam. Unde, si ad comedendum panem, qui figura erat huius sacramenti, abstinentia ab usu matrimonii a sacerdote Abimelech requirebatur; nemo sanae mentis negabit, convenientius multo esse eandem ad sumptionem huius tanti sacramenti adhibere. Atque ad hoc propositum mirifice fecit, quod cum Laban solicitus esset quaerere Deos aureos, et argenteos, quos generum suum Iacobum suspicatus fuerat ei subripuisse, ut legimus (*Genes.* 31), scrutareturque omnia eius supellectilia, inter quae cum eos invenire non posset, tandem ad Rachelem perveniens, petens ab ea, ut paululum ab eo loco, in quo sedebat, discederet, si forsan idola subtus eam fuissent, illa non annuit, hanc excusationem ei praebens: *Quia secundum consuetudinem mulierum accidit mihi,* hoc est, quod patiebatur muliebria: quo audito Laban certo credidit, minime Deos, quos quaerebat, sub Rachele adesse. Quod si rationem inquiras, quare tam facile Laban id credidit, cum alioquin perfacile foisset, illam ab eo loco paululum dimovere, et explorare quod quaerebat, id quod si fecisset, invenisset utique revera ibi adesse; respondet Iosephus (*lib.* 1. *antiquit.*) in haec verba: *Sedebatque Rachel desuper dicens se menstruis laborare, et Laban destitit amplius inquirere, credens, filiam sic affectam non fuisse sacris propius accessuram.* Si igitur Laban fidei lumine destitutus, immo idololatra, nefas esse putabat, mulierem menstruam Deos falsos contingere; quanto quaeso indignius a Christiano homine iudicari debet, verum Deum carne indutum, sub speciebus panis latentem, praecedentibus carnis illecebris, licet alioquin non peccaminosis, minus reverenter contrectare? Dixi autem consulto supra, convenientius esse coniuges communicaturos a venere se abstinere, quia rigorosa mihi videtur eorum sententia, qui, contrarium agentes, peccati saltem venialis reos esse putant. Quidquid tamen sit de hoc, illud omni vigilantia curare debemus, tanta puritate huic sacrae Mensae assidere, qualem decet, qui puritatis fontem suo pectore inclusurus est. Certe Alexander, ut auctor est Plutarchus (*lib. Apothegm.*), cum pugnam esset in quodam bello subiturus, vescentes milites sic allocutus est: *Eo animo pugnate, ac tanta fiducia roborati estote, quasi coenaturi sitis, quod inimici paratum sibi habent.* Non dissimiliter, cum ad hanc sacram Mensam accedimus, ea animi fortitudine, et puritate, eoque charitatis fervore pretiosas eius dapes comedere debemus, quasi ad coenam aeternae gloriae continuo nobis evolandum esset. Ob defectum sane huius puritatis, ac debitae dispositionis, conquerebatur d. Paulus (1. *Cor.* 11), multos in virtute imbecilles reperiri: *Ideo multi inter vos infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi.* Qui fieri quaeso potest, ut quis inter suaveolentes odores frequenter degat, et odoris suaveolentiam non participet? et ut dixit Salomon (*Prov.* 6): *Quis potest abscondere ignem in sinu, ut vestimenta illius non ardeant?* aut quis integrum fontem ebibet, et adhuc sitibundus manebit? Adest quidem in hoc sacramento summa virtutum Christi fragrantia, adest ignis ardentissimae suae charitatis, adest fons perennis omnium bonorum; vos tamen, quia indigne ad illud acceditis, nec bonus odor Christi estis, ut se esse fatebatur d. Paulus (2. *Cor.* 2) dicens: *Christi bonus odor sumus:* nec in medio ignis calefaciminí; nec tandem perennem illum fontem bibentes sitim

vestram extinguitis. Vobis quidem mihi videtur, satis congrue aptari posse illud, quod Virgilius (*ecloga* 3) dixit: ubi introducens tres pastores, Palaemonem, Damoetam, et Menalcam, qui conquerebantur invicem, quod eorum armenta debilia, et macilenta essent, cum alioquin in foecundissimis pratis magna herbarum copia germinante alerentur, Palaemon dixit:

Dicite quandoquidem in molli consedimus herba.
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus.

Cui respondens infra Damoetas, videns taurum suum debilem esse, ac macilentum, inquit:

Eheu quam pingui macer est mihi taurus in arvo,
Idem amor exitium est pecori, pecorisque magistro.

Sed mirabatur adhuc magis Menalcas, qui cum teneros haberet agnos, vix ea herbarum abundantia in eis agnoscebatur: unde subiecit:

His certe, neque amor, causa est, vix ossibus haerent.

Nescio, quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Sic sane mirabile quidem est, quod, cum tanta sit huius divini cibi pinguedo, ut canit Ecclesia catholica: *Pinguis est panis Christi, et praebebit delicias regibus*, permulti tamen illo utentes, infirmi adeo, ac debiles existant, ut frequenter in varia peccata prolabantur. Admiratione etiam dignum est, quod cum hoc solidissimo Eucharistiae cibo vescantur, *vix ossibus haerent*, ut dicebat Menalcas: et licet in amoenissimo, ac uberrimo florum, et herbarum Ecclesiae catholicae prato enutriantur, tot sacramentorum pascuis aliti, nihilominus nullum in eis virtutum incrementum, quin potius decrementum frequenter videatur. Id vestrae indispositioni adscribite, non inopiae virtutis huius sacramenti, cum in eo adsit fons scaturiens omnium bonorum Christus Dominus; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXIII.

Confertur sacramentum altaris cum arbore vitae, agiturque de ultimo eius effectu, qui corporis immortalitas, et gloria est, cui proposito verba Ioannis accommodantur: Vincenti dabo edere de ligno vitae.

Variae sunt interpretationes, quae a Patribus afferuntur super haec Ioannis verba; sed ut ad eam, quae nostro argumento magis convenit, postea deveniam, prius ceteras, quoniam utiles, et scitu dignae sunt, praemittam. Magnus pater Gregorius (*in Moral. lib.* 12. *c.* 4) intelligit per hanc vitae arborem sapientiam Dei humanitate vestitam, fundatus verbis Proverbiorum (*Prov.* 13): *Lignum vitae est sapientia eis, qui apprehendunt eam:* quam Gregorii sententiam Richardus, Beda (*sup. locum Io.*), et Eucherius (*lib.* 1. *in Gen.* 13.) amplexi sunt, quoniam cum Christus seipsum vocet vitam: *Ego sum via, veritas, et vita;* et alibi se appellet arborem: *Si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* consonum valde rationi est, ut arbor vitae nuncupetur, cuius rami sunt creaturae, quae tam in coelo, quam in terris vitam habent. Rupertus Abbas (*sup. hunc locum*) per arborem vitae non solum Christum, sed claram quoque Dei visionem interpretatur, qua ille beatos pascit, et remunerat, quoniam in hac vita adversus diabolum, et carnem triumpharunt: *Primis hominibus*, inquit, *quia corripienti Deo non acquieverunt, sed peccatum suum excusaverunt, lignum vitae interdictum fuit: recte modo poenitenti aditus ad lignum vitae repromittitur, quod est Iesus Christus, cuius in coelesti paradiso visione reficiuntur animae.* Doctissimus Primasius alia via incedit, aiens per arborem vitae intelligi lignum crucis, cuius fructus Christus fuit, ut canit Ecclesia: *Arbor decora, et fulgida, Ornata regis purpura.* Sed ad propositum nostrum, idem (*in libro, cui titulus, De corpore, et sanguine Christi*), ut refertur in Bibliotheca Sanctorum Patrum *tom.* 4. et Rupertus adducto in loco asserunt, hanc vitae arborem esse Christum in hoc sacramento absconditum. Ad cuius rei plenam cognitionem est prius notandum, etsi gravissimi aliquot Doctores, ut sunt Durandus (*in* 2. *sent. dist.* 19), cardinalis Caietanus (1. *p. q.* 93. *a.* 4), et alii, sentiant arborem vitae non habuisse virtutem ad communicandam corporibus immortalitatem, sed ad vitam in longius tempus producendam, ex sententia Augustini (*de Civitate Dei lib.* 13. *c.* 3. *et* 33) arbori vitae insitam fuisse virtutem ad corpora humana reddenda immortalia, quod his verbis testatur: *De ligno vitae propterea gustabatur, ne mors eis undecumque subreperet, vel senectute confecti decursis temporum spatiis interirent.* Cui opinioni Chrysostomus (*sup. Gen. hom.* 18), Thomas (1. *p. q.* 93. *a.* 4), Abulensis (*cap.* 13. *in Gen. q.* 175), et Strabeus (*sup. Gen.*), nec non auctor quaestionum veteris, et novi Testamenti, quem nonnulli putant eundem fuisse Augustinum, concordes suffragantur. Omnes hi auctores considerantes arboris vitae tam mirabilem virtutem, appellaverunt divinum hoc sacramentum vitae lignum, sive arborem, quoniam, sicut illa mortem impediebat, faciens corpora corruptionis expertia; sic sacramentum hoc facit corpora illud digne sumentium aeterna, et gloriosa: unde satis liquet discrimen, quod est inter hoc alimentum, et quaecumque alia, quae a mundo ministrantur: nam quamvis cibo, quo utimur, vitam tueri, et mortem fugere videamus, potius nobis vita minuitur, quoniam licet non omnino comedentes cito moreremur, sic etiam comedentes paulatim morimur, quia nostrum corpus intra se ipsum habet principium corruptionis, et viscera rodentem vermem, qui est calor innatus, qui humorem radicis continuo absumit: nam sicut vinum aqua dilutum augetur quidem, sed vis eius ac virtus minuitur, ita cibo corpus crescit, et vita protrahitur, interim tamen calor vitalis deteritur, et extinguitur, ut solet faculae flamma, quae post cerae combustionem non amplius coruscat. Hic autem divinus cibus, cum intra se habeat vitae fontem Christum, arbori vitae simillimum, vitam non consumit, nec labefactat; immo illam auget, et conservat per omnem aeternitatem. Et hoc est, quod Deus victori pollicitus est, inquiens (*Apoc.* 2): *Vincenti dabo edere de ligno vitae:* id est, seipsum vincenti, et passionibus suis dominanti dabo, ut utiliter comedat de mei corporis Sacramento, qui esus assimilabitur arboris vitae fructui, quoniam comedentem faciet immortalem, si digne de hoc pane manducaverit (*Ioan.* 6): *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum;* vivet immortalem vitam, et gloriosam, non modo quoad animam, sed etiam quoad corpus (*ibid.*): *Et ego resuscitabo eum in novissimo die:* qui effectus est ultimus, quo divini huius sacramenti fructus omnes, et proventus terminantur. Quibus relatis verbis fundati Ecclesiae Patres, adscribunt huic divino Sacramento immortalitatem, et gloriam, qua corpora Sanctorum dotabuntur ad imitationem gloriae corporis Christi, sicut dixit Apostolus (*Phi.* 3): *Reformabit corpus humilitatis nostrae configuratum corpori claritatis suae.* Unde quoque s. Gregorius Nyssenus (*in orat. Catech. c.* 37): *Corpus nostrum non potest consequi immortalitatem, nisi huic corpori immortali Christi fuerit coniunctum:* et Cyrillus (*sup. Ioan.*): *Non poterat aliter corruptibilis haec natura ad immortalitatem, et vitam aeternam traduci, nisi naturalis vitae corpus illi coniungeretur:* et (*ibidem*) alibi admiranda haec verba protulit: *Oportuit certe, ut non solum anima per Spiritum sanctum in beatam vitam ascenderet, verum ut rude, ac terrestre corpus cognato sibi gustu, tactu, et cibo ad immortalitatem reduceretur;* et (*cap.* 16) appellat, *Cibum nutrientem ad immortalitatem, et vitam aeternam.* Quam veritatem profitetur et Augustinus (*super Ioan.*) de hoc divino cibo sic loquens: *Eos, a quibus sumitur, immortales, et incorruptibiles facit in societate Sanctorum.* Ioannes Chrysostomus agens de hoc Sacramento ait: *Eorum corpora satellitum more stipantibus angelis, custodiri in vitam aeternam.* Idemque (*super Ioannem*) introducit Christum in hoc sacramento ita loquentem: *Ego mea carne alo quos genui, omnibus faveo, optimam de futuris spem praebeo.* Irenaeus (*lib.* 4. *c.* 34) quoque adversus haereticos eandem comprobans doctrinam, ita rem, de qua loquimur, exaggerat: *Quemadmodum qui est a terra panis, percipiens invocationem Dei, iam non communis panis est, sed Eucharistia: ita et corpora nostra percipientia Eucharistiam, iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.* Hoc ipsum attestantur, et docent varia nomina, et singularia epitheta, quibus tam sacra Concilia, quam sancti Patres hoc Sacramentum cumularunt, ad significandum mirabilem hunc effectum, quem mens nostra digne illud sumens experitur. Concilium Nicaenum illud vocat *symbolum resurrectionis.* Tridentina Synodus *Pignus gloriae, et aeternae felicitatis.* Sanctus Ignatius martyr (*in epistola, quam scripsit Ephesiis*) appellat *pharmacum immortalitatis*, quo mortis malum depellitur. Quorum omnium doctrinam si rationibus fulcire velimus naturalibus, nequaquam deerunt in rerum natura exempla, quibus utamur ad huius rei magis stabiliendam veritatem. Experimento namque liquet, quales cibus habet qualitates, tales inseri illum comedentibus. Dioscorides, et eius interpres (*in c. de viper.*), referunt esse homines, qui viperis conditis vescantur, quarum esu vitam in longum tempus producunt; additque Isigonus Cirnus, in ea Indiae regione, ubi huiusmodi homines habitant, nullum animal veneficum eis nocere posse, quoniam cum pro victu habeant venenum, non possunt a veneno laedi, propter naturae ex alimento conformitatem. Pierius Valerianus loquens de viperis, scribit viperas Arabiae non esse tabificas, quod pro alimento utantur balsamo, cuius in ea regione magna copia est. Cernimus etiam usu evenire, ut qui terram comedit, particeps factus qualitatum illius, terreum praeseferat colorem. Qui ergo Christi carne immortali, et gloriosa nutrietur, qualitatum illius immortalitatis, et gloriae particeps fiet. Qua ratione, et argumento usus est sanctus Irenaeus contra haereticos (*lib.*4), in hunc modum: *Quomodo rursus dicunt carnem in corruptionem devenire, et non suscipere vitam, quae a corpore Domini, et sanguine alitur?* In cuius rationis confirmationem mihi venit in mentem legisse apud Poetam insignem Lusitanum, nomine Camoes, in India Orientali esse aves, quae sustentantur cinnamomo, et aliis aromaticis alimentis, carnem habentes fere incorruptibilem: nam ex vi alimenti facile corruptioni resistunt. Claudianus etiam, et Lactantius Firmianus de phoenice tractantes, ac percontantes, cur tantum reperiatur in Oriente, et unde sit, quod renovetur, et instauretur, fiatque quodammodo immortalis, respondent:

Solis fervor alit, ventosaque pabula libat.

Ita Claudianus, et Lactantius in hunc modum: *Ambrosio libans caelesti nectare rores.* Si ergo phoenix reviviscit, ac fit quodammodo immortalis, quia solis radio, et caelesti rore nutritur; quanto maior virtus erit in hoc caelesti victu ad ingerendam corporibus immortalitatem? Huc pertinet, quod dixit Zacharias: nam ubi vulgata editio vertit: *Frumentum electorum*, septuaginta Interpretes transtulerunt: *Frumentum iuvenum*, quoniam vires subministrat iuveniles, quibus, tamquam Elias, confirmati ad culmen montis Oreb conscendere valeamus; sicut expresse sancta Synodus Tridentina (*sess.* 23) testata est: *Cuius vigore confirmati ex huius miserae peregrinationis itinere ad caelestem patriam pervenire valeant.* Hinc est, quod s. Thomas (3. *p. q.* 79. *a.* 2) quaerit, *Utrum effectus huius sacramenti sit adeptio gloriae:* respondetque affirmans. Unde constat, quod quamvis reliqua sacramenta effectum suum in hac vita sortiantur; Eucharistia vero praeter multos, quos nobis ad praesens

exhibet, alium promittit fructum in posterum, cum praesentis vitae terminus adfuerit. Itaque quemadmodum medicina, et experientia docet, esse veneni genus, quod sumptum non repentino, sed praescripto temporis spatio mortem inferat, sicut et pharmaca, quae non statim, sed aliquo dierum intervallo integram inducunt valetudinem; nihilominus tamen, quando venenum mors sequitur, vel propter pharmacum olim acceptum acquiritur salus, veneno et pharmaco hos effectus attribuimus; sic quamvis cibus hic non afferat corporibus illum digne manducantibus praesentem immortalitatem, illam tempore suo adducet; immo statim incipit corpora nostra disponere ad eam, quam pollicetur aeternitatem; quod s. Irenaeus (*l.4.cont.haeret.*) acute ostendit, cum Sacramentum hoc *semen vitae aeternae* nuncupavit: quoniam quemadmodum semen non statim ostentat virorem, et pulchritudinem, quam postea habebit, cum in arborem creverit, tuncque flores, et fructus producit; ita divinum hoc Sacramentum non illico donat aeternitatem, sed illam promittit in tempus, quo adveniente cognoscet iustus, et beatus, se illam debere acceptam huic divino Sacramento. Verum tamen est, hunc effectum non semper ab omnibus, qui illud receperunt obtineri, non quidem Sacramenti defectu, sed quia, cum in gratia non confirmet, nisi cum gratia accedentes, potest qui illud sumpsit, gratiam subinde perdere ob peccatum denuo commissum, atque ita moriens in peccato, consequenter optatum gloriae finem non assequi. Difficultati, quae a nonnullis opponitur, dicentibus, quod immortalitas, et gloria debetur ex iustitia illis, qui propriis meritis ornati, et in gratia Dei moriuntur, iuxta illud Apostoli (2. *Tim.* 4): *Reposita est mihi corona iustitiae:* ideoque huiusmodi gloriam, et immortalitatem non Eucharistiae sacramento, sed cuiusque meritis adscribi, et assignari debere: respondetur, non esse inconveniens qui digne communicaverit, hac etiam de causa accipere eandem gloriam, quae aliis de causis, et titulis ei debebatur, quod gloriae genus erit singulare, etsi accidentale ipsi beato, sicut nunc est et Christo: nam gloria corporis, quae sibi debebatur ratione unionis personalis cum Verbo propter suam ipsius beatam animam, data ei quoque fuit titulo meriti, et ratione iustitiae, quod non parvo augmento gloriae accidentalis ipsi Christo est; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XXIV.

Miracula praecipua, quae in hoc sacramento concurrunt, mystico sensu explanantur, et quanta sit varietas virtutum, quas in eo docet Christus, aperitur.

Doctrina est inter philosophos probatissima, et nemini non cognita, amoris, et bonitatis similem esse naturam, cum tam ille, quam haec, appetant sui ipsius communicationem: amor enim amato, et bonitas egenti se impertire cupit. Quod ut veteres significarent, nudum depinxerunt amorem, quasi seipsum bonis omnibus expoliasset, habentem a zona pendens marsupium non clausum, ad innuendam eius munificentiam, et eximiam liberalitatem. Quod autem bonitas eiusdem conditionis, ac naturae cum amore sit, praeterquam experimento probatum est, certum id etiam facit vulgatissima Dionysii sententia, a quo illam s. Thomas usurpavit: *Bonum est sui diffusivum;* instar vasis aqua pleni, et redundantis, vel potius instar fluminis Nili alveum egredientis, et Ægypti agros irrigantis: tantaque est bonitatis proclivitas ad se communicandum, ut si quando retardetur hic impetus, aut impediatur, vim illam aegre ferat, ac erumpat tandem, prosternens impedimenta, ut se in egenos libere, et copiose diffundat. Cum igitur ratio boni in supremo gradu perfectionis in Deo sit, planum est, non minus excellenter in ipso esse voluntatem se communicandi; et cum sit infinite bonus, infinite quoque ipsum esse communicativum oportet. Et quamvis verum est, quod Pater communicans Filio divinam sui ipsius naturam, et eandem utefque Spiritui sancto, ostenderant bonitatem suam infinitam; illa fuit naturalis, et necessaria communicatio, in Deo, et intra Deum occulte facta, ideoque a Theologis appellata communicatio ad intra: unde supererat, ut Deus incomprehensae bonitatis suae magnitudinem infinitam, per communicationem ad extra, sive, ut loquuntur, in ordine ad creaturas declararet. Quare factum ab eo est, ut divina persona humanitati Christi supponeretur, ita ut Deus esset homo, et homo fieret Deus, et consequenter Dei operationes humanae, et hominis divinae dicerentur: quod genus communicationis ante id tempus fuerat inauditum. Hac tamen liberalitate, qua se quatenus Deum homini communicaverat, non contentus, invenit modum, quo se quoque quatenus hominem communicaret, ita ut, sicut divinum Verbum suum esse divinum humanitati Christi impertiverat, sic etiam factus homo suum esse humanum nobis communicaret, pro victu, et potu corpus suum, et sanguinem pretiosissimum exhibens. Unde factum, ut quemadmodum per illam Dei personalem unionem ipse Deus homini, et homo Deo se inseruit, unumque corpus, Dei et hominis effecit; ita per spiritualem huius divini sacramenti unionem, Christus animae, et anima Christo co-

pulatur, et inseritur, quae virtute illius producit fructum operum, arbore, cui insita est, dignorum. Ad hunc gignendum fructum, primum huius sacramenti miraculum est, conversio panis in corpus Christi, virtute verborum, quae sacerdos personam Christi gerens pronunciat: post quorum verborum prolationem non amplius iam illic panis substantia, sed eius imago est: sicut quando regis Saul satellites ad comprehendendum Davidem missi non illum, sed statuam Davidi similem invenerunt. Nam revera per illam mirabilem conversionem suum esse perdidit panis, et vinum; non tamen per corruptionem, ut res naturales: nam ut philosophia docet: *Corruptio est desitio formae in subiecto;* manet igitur in corruptione pars compositi illius, quod corruptum fuit. Hinc docemur in sensu mystico, quod mors veteris hominis in nobis ipsis, et interitus portentosi monstri tot scelerum, et affectuum inordinatorum, quibus trahimur, non esse debet per corruptionem, ita ut pars vitiorum vigeat, et pars interimatur, id enim non esset integram servire Deo servitutem, sed sequi mores foeminae illius coram Salomone dicentis (3. *Reg.* 1): *Nec mihi, nec tibi, sed dividatur.* Sunt autem non pauci, qui hoc imperfectionis vitio laborant, utentes divisione cordis, dum partem detractionibus, partem piis meditationibus, partem delictis eluendis, partem quoque patrandis impendunt. Id qui faciunt, imitantur Philistaeos, qui arcam Dei ponebant prope Idolum Dagon, cui partem cultus, et reverentiae, quae arcae debebatur, impie deferebant. Deus autem, ut ostenderet, quam sibi esset molestum, arcam pariter, et Idolum adorari, dividique debitam sibi soli reverentiam, effecit, ut arca Idolum deiiceret, ac prosterneret. Nec desinit in hoc sacramento esse panis per annihilationem, ut loquuntur gravissimi Theologi: nam quae sic commutantur, desinunt in nihilum, et penitus evanescunt; panis vero, qui erat ante consecrationem, non reducitur ad nihilum, sed in corpus Christi convertitur transmutatione mirabili, et conversione, quam aptissimo vocabulo s. Synodus Tridentina vocavit *Transubstantiationem.* Talis esse debet nostra mutatio, et morum reformatio, non ut tantum culpae veteres esse desinant, sed ut ad virtutem transeamus, et Christo conformemur, sicut Propheta praecepit (*Psalm.* 36): *Declina a malo, et fac bonum;* ut hoc modo imitemur Apostolum in animae reformatione, cum dixit (*Gal.* 2): *Vivo ego, iam non ego, sed vivit in me Christus;* quasi dixisset, non satis esse puto a malo declinasse, culpas effugiens, et imperio legis Dei meos subiiciens motus, et affectus inobedientes, in me olim libere regnantes; sed facere bonum studeo, et ita progredi in stadio virtutis, ut Christo conformis, ac magis in me ille, quam egomet in me ipso, vivat. Aristoteles (*in Phys. et in lib. de gener. lib.* 2) docet, esse in conversione naturali terminos duos, unum a quo, et alterum ad quem; ille deseritur, et hic acquiritur: inter quos talis est ordo, ut prius intelligamus relinqui terminum a quo, quam acquiri terminum ad quem. Exempli gratia, qui Toleto proficiscitur Hispalim, prius Toleto egreditur, quam Hispalim accedit; sic in spirituali conversione animae in Christum: nam primum ableganda est omnis culpa, et omnino deserenda, tamquam terminus, a quo digredimur, ac postea faciendus transitus est ad transformationem in Christum, qui est terminus ad quem, et cui anima coniuncta, tamquam in centro suo, et ultimo termino, manet, et quiescit. Nos autem volumus secundum, et renuimus primum (2. *Cor.* 5): *Nolumus spoliari, sed supervestiri;* quod non ita fieri debet, sed necesse est obedire Apostolo dicenti (*Eph.* 4): *Exuentes veterem hominem induite novum, qui secundum Christum creatus est.* Ex hac mirabili panis in Christi corpus conversione, tamquam ex fonte manant alii mirabiles effectus, quibus si anima corpori Christi communicantis ornaretur, magnum fructum, vel sola una corporis Christi communicatio afferret. Consideremus igitur in primis, quod Christo sub accidentibus existente, iam illa non pendent quoad suam conservationem a creaturis, sed a solo Christo, a quo tamquam causa effective ea conservante habent sustentaculum; discatque anima non a rebus pendere mortalibus, non ab honore, vel gratia principum, non a divitiis, et voluptatibus, seu aliis huius saeculi bonis, sed in solo Creatore suo, et Domino spem suam figat, ad eum semper mentis oculos revocet: ipse namque est vera fortitudo, et felicitas; reliqua omnia, quae mundus miratur, inania, falsa, et debilia sunt.

Ad quod innuendum antiqui pingebant puellam nubibus amictam, quae sponsa forsan erat adulteri Ixionis, cui fabulati sunt Poetae datam fuisse uxorem Iunonem de nube formatam, illamque cum vellet amplecti, ab eo non inventam, sed vaporem adeo tenuem, ut manibus apprehendi non potuerit. Id accidit a spe fallaci, et inani pendentibus, favoresque humanos sectantibus: qui nubibus similes facile vento rapiuntur, et evanescunt. Unde sapienter dictum: *Spes vigilantium somnus.* Consideremus in hostia, et in quavis eius parte Christum esse praesentem, et discamus praebere locum eidem intra cor nostrum, intellectum, memoriam, et voluntatem, dirigentes ad illum omnia studia, cogitationes, actiones (*Heb.* 12): *Aspicientes in auctorem, et consummatorem Iesum Christum*, tamquam nostrorum operum regulam, quae fallere non potest, nec falli, ab imperio eius nec transversum, ut aiunt, unguem deflectentes. Hoc diligenter curabat insignis, et inclyta regina Navarrae Margarita, quam refert Claudius Paradinus in quodam emblemate, cui titulus, *Verum heliotropum*, usurpasse pro insigni, et stemmate, florem, quem solis vocant: quoniam sole oriente folia pandit, occidente claudit, dumque in coelo est, illum intuetur, et pariter gyrum agit. Epigraphe emblematis erat. *Non inferiora secula*: non vilibus, et caducis saeculi rebus, sed permansuris, et divinis studeo. Idem facitare debet, qui virtuti studet: prospiciat semper iustitiae solem Christum, ei non solum praebens aditum in corde, sed in omnibus actionibus suis opera sua non minus reverenter, et religiose

faciens, quam si in eius praesentia semper versaretur. Consideremus Christum, etsi sub hoc sacramento est in terris secundum propriam substantiam, non ideo a coelis abesse, discamusque ita ei in terris deservire, ut quamvis corpore terram incolamus, spiritu, et mente in coelis conversemur, sicut faciebat Apostolus, cum dixit (*Phil.* 5): *Conversatio nostra in coelis est.* Non inficior fieri aliquando aliter non posse, quin contractationibus, et negotiis implicemur humanis; non tamen ita in illis immergi debemus, ut multitudine negotiorum obruamur, ne fatigato corpore suffocetur spiritus, ac reddamur propriae salutis, et futurae aeternitatis immemores. Expertus id fuerat Manasses, cum dixit in oratione ad Deum (2. *Par.* 26): *Incurvatus sum multo vinculo ferri, et non est respiratio mihi.* Multitudo negotiorum me deprimit gravius, quam si ferrea catena essem alligatus: haec enim spiritum ducere permitteret, negotiorum vero moles impedit mihi orationis respirationem, et divinum alloquium: *Non est mihi respiratio;* quasi dicat, non possum elevare mentem ad Dei contemplationem. Quae industria, et fraus daemonis propria est, ac similis ei, qua usus est Pharao cum Israelitis, quando illos habebat captivos, qui ut bonas eorum impediret exercitationes, lateribus formandis iubebat ita districte occupari, ut tempus vix esset reliquum ad eam, quam dicimus, salutarem respirationem. Consideremus, quod etiam si hostia extrinsecus eadem manere videatur, ita ut nullum inter consecratam, et non consecratam, quoad externam speciem, appareat discrimen; sub specie tamen panis tanta est mutatio interior, ut in hostia non consecrata panis substantia, in consecrata vero sola Christi substantia sit; ita, licet habitu externo, et cultu non sit differentia inter te, ac illum, qui in peccato est; interius tamen quoad desideria, studia, et affectus magnum esse curabis discrimen, quod optabat David, ita precans Deum (*Psal.* 50): *Cor mundum crea in me Deus.* Supponebat David sibi propter adulterium periisse cor, quoniam ut Deus per Oseam (*c.* 4) dixit: *Fornicatio, et vinum auferunt cor;* atque ideo novum petebat, et tam novum, quantum verbum, *creare*, significat: nam quando aliquid creatur, totum fit de novo quoad eius omnes partes; secus autem, quando generatur: generatio namque supponit aliquid factum, nempe materiam, cui supervenit forma, unde totum resultat: ob idque David sibi creari cor novum postulabat, ne pars antiqui cordis aliqua maneret. Consideremus Christum, licet per hoc sacramentum penetret in pectora putrida, et foetida tot hominum improborum, ex quibus non pauci horrendis, et detestandis inquinati sunt, et onusti abominationibus, nihil foeditatis inde contrahere; discamusque sic agere cum peccatoribus, ut vitiorum suorum, et sinistrorum morum contagione non inficiamur, sed potius solis radiis assimilemur, qui per loca transiens immunda semper retinet puritatem, et splendorem; quod Apostolus faciendum consuluit Philippensibus, eadem similitudine usus: *Ut sitis filii simplices sine reprehensione in medio nationis pravae, et perversae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Haec est circumstantia, quae plurimum declarat sanctitatem Iob, tot idololatris circumseptus, nihil impietatis ab illorum contubernio contraxit, et ob eam causam existimo Iob vocatum virum: *Vir erat in terra Hus:* nam vir idem est, quod victor: ideoque ubi vulgata transfert, *confortare, et esto robustus*, Hebraeum exemplar legit, *confortare, et esto vir.* Et Gregorius (*super hunc locum*) scribit, *virum dici a virtute.* Unde qui in sodalitio sceleratorum vivens illorum malo exemplo non pervertitur, iure optimo feret viri appellationem. Sed nostra aetate, ut quidam fertur dixisse Philosophus, *homines permulti, viri perpauci.* Hinc Diogenes ille Cynicus in meridie per forum civitatis facem ardentem manu tenens quaerebat hominem, et dicentibus; ecce quamplurimi adsunt; respondit, illos non esse homines, cum non ratione, sed libidine regerentur; qui etiam sciens optimam vivendi rationem vigere apud Lacedaemonios, addidit, de illorum foeminis loquens: *Solum Lacenae viros pariunt.* Ne vero aliquis paradoxon, vel praeceps Diogenis arbitretur iudicium, legat Isaiam, apud quem reperiet eandem sententiam Dei ore pronunciatam (*Is.* 59): *Vidit quia non est vir.* Consideremus, ad hostiae divisionem nequaquam substantiam corporis Christi dividi, discamusque adversitatibus non frangi, nec a Dei amicitia recedere propter calamitatum, et laborum incursus: quod facere omnino debemus, si cupimus augmentum virtutis, et conservationem. Nam cum frequenter desideriis non conveniant rerum eventus, immo saepe res accidant secus, ac sperabamus, nisi animum adversi successus invenerint firmum, et constantem, facile deficiemus. Ad hanc notandam animi constantiam, et in virtute perseverantiam, quam vir fortis retinere debet, refert Paulus Iovius emblema, in quo erat Siren maritima, cum hac inscriptione: *Contemnit tuta procellas.* Quam imitari vir bonus debet, insurgentibus adversus ipsum quibusvis laborum, aut infortuniorum tempestatibus non absterritus. Quod eleganter, et sapienter admonuit Lyricus Vates his versibus notatu dignissimis:

> Iustum, et tenacem propositi virum
> Non civium ardor prava iubentium,
> Non vultus instantis tyranni
> Mente quatit solida: neque Auster
> Dux inquieti turbidus Adriae,
> Nec fulminantis magna Iovis manus.
> Si fractus illabatur orbis,
> Impavidum ferient ruinae.

Consideremus Christum sub vilibus panis, et vini speciebus occultum ita contrahi, ut in quavis minima hostiae particula totus lateat, et gloriam suam, ac maiestatem abscondat: discemusque humilitatem, et arrogantiae fugam, vanitatis, et superbiae cristas deprimentes: dona Dei non ostentemus: aliter enim, quae in humilitate accepimus a Deo munera, vento, ac turbine vanitatis auferentur. Narrat Aristoteles in Meteoris, et in libro de mirabilibus

naturae, rem huic proposito aptissimam, videlicet, Olympum montem tam esse sublimem, ut ventorum flatus verticem eius non attingat: quod inde coniicitur, quod sacrificia quotannis illic Iovi cum fierent, cineres victimarum in eodem loco, ubi accensus fuerat ignis, integri, et immoti, altero adveniente anno, reperirentur. Vult Deus virum iustum ita excelso esse animo, et a rebus inferioribus tam remoto, ut quantumvis fortiter flatibus invidiae, et arrogantiae perstrepentibus, persistat immotus, ne sibi cinis humilitatis eripiatur. Consideremus, quod licet in hoc divino Sacramento nulla sit panis substantia, virtutem tamen habet alendi corpus nostrum non secus, ac si substantia panis adesset: discamusque operari tempore languoris, et doloris eo modo, quo operabamur deliciis, et beneficiis Dei affluentes: sic enim animus veri Christiani, et constantis exploratur. In cuius rei figuram narratur in sacris litteris, fuisse a Benaia, frigoris, ac nivis tempore, quando leones propter famem, qua urgentur, sunt ferociores, et homines frigore magis fatigantur, leonem interfectum, sicut ibi legitur: *Ipse interfecit leonem tempore nivis;* quem imitabitur vir iustus, ostendens robur suum, et animi alacritatem tempore nivis, id est, quando solatia desunt, quando instar nivis sibi friget affectus, et devotio, tunc diligenter caveat, ne manum removeat a piis exercitationibus, ne tentationibus cedat: sicut tempore solatii, et spiritualis laetitiae, eisdem non succumbat. Consideremus Christum in hoc Sacramento nullum opus sensuum exercentem, ut Theologorum cum s. Thoma communis opinio docet, nec enim audit, et videt, aut tangit, prout est in sacramento, quia ibi adest modo indivisibili, discamusque nostros froenare sensus, oculorum reprimere lasciviam, et aures claudere: hi enim sensus aditum praebent adversario, ut nos bello persequatur. Nam quemadmodum experti milites, cum urbem aliquam expugnare non possunt, muro, ac fenestris admotis scalis, illam ingrediuntur, et depraedantur: ita diabolus per sensus, quasi per fenestras, sibi parat ingressum, aperitque viam ad animae propugnaculum prosternendum: scriptum enim est (*Hier.* 9): *Mors intrat per fenestras:* quoniam etsi verum est, primum procurare hostem nostrum, tamquam tormentorum explosione admotis machinis tentationum, murum boni propositi Deum non offendendi solo coaequare; cum tamen nullum inde sentit adiumentum, occurrit ad sensus debellandos exhibitione materiae, qua delectantur; oculos pulchritudine, gustum eduliis, auditum canticis, et musicis, atque ita in reliquis: quo fraudis, et machinae genere, magno, et gravissimo nostrae salutis detrimento victoriam frequenter consequitur. Ad tantum igitur damnum evitandum oportet cohibere sensus: in cuius rei typum scimus animalia illa sancta, quae vidit Ioannes, per quae iusti significantur, fuisse plena undequaque oculis (*Ap.* 4): *Plena oculis ante, et retro:* nam oculos in fronte, ore, manibus, pedibus habebant, ad significandam custodiae diligentiam, quam in sensibus nostris defendendis adhibere debemus: nam talem, ac tantam esse oportet, ut habeamus oculos in fronte ad videndum quid cogitemus; oculos in ore ad videndum quid loquamur; oculos in manibus ad videndum quid operemur; oculos demum in pedibus, ut gressus nostri dirigantur, ne cadentes offendamur. Consideremus accidentia huius divini Sacramenti non admittere aliam praeter Christi substantiam, et discamus non recipere intra cor nostrum nisi Deum, et intra nostram voluntatem, non aliam, nisi divinam: hoc enim est, quod ei magis placet, sicut ipse significavit, iustum alloquens (*Ps.* 23): *Fili praebe mihi cor tuum:* quod est, ac si dixisset: fili considera me aquilae similem: nam ut illa, sic ego cordibus pascor, ideoque *praebe mihi cor tuum.* Qui et in Canticis inquit (*Cant.* 8): *Pone me ut signaculum super cor tuum*, id est, ego esse volo cordis tui sigillum, tua voluntas sit cera mollis, quam ego tamquam figura substantiae Patris mei figurabo, et ita meam ad te transferam imaginem. Vive igitur, o anima contenta mecum: nam ipse tecum vivo contentus. Consideremus Christum, etiamsi notum habebat a multis corpus suum indigne sumendum, ut tamen a iustis sumeretur, tolerantem iniurias, et contumelias sibi in hoc Sacramento ab iniustis, et peccatoribus illatas; discamusque animarum tali zelo ardere, ut illarum salutem etiam cum proprii honoris, commoditatis, et delectationis detrimento procuremus: quod optime implebat Apostolus, cum dixit (*Rom.* 9): *Optabam ego anathema esse pro fratribus meis.* Cuius loci variae sunt interpretationes. Primum, qui litteae favent, sentiunt Apostolum loqui de tempore, in quo persequebatur Ecclesiam, ita ut dicat, se tanto Iudaismi zelo tentum, ut cuperet in exilium mitti, et affligi pro his iuvandis, qui Christum persequerentur. Sed Ecclesiae Patres aliam viam longe diversam sectantur; praedictam tamen ego non damno sententiam, quoniam proculdubio magnum habet in littera fundamentum, si contextus verborum Pauli consideretur. Paulus enim prius dixerat, magnam sibi esse tristitiam, et dolorem (*Rom.* 4): *Tristitia mihi magna est, et continuus dolor:* assignavitque statim huius tristitiae causam zelum, quo ardebat vitam exponendi cuivis discrimini, ut Christum persequentibus faveret: *Optabam anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Magnus Pater Gregorius, Origenis secutus opinionem (*sup. Epist. ad Rom.*) ait, Paulum amore Christi accensum desiderasse sanguinem fundere, ut suis fratribus spiritualem pararet salutem: Gregorii verba sunt: *Paulus optavit anathema fieri pro fratribus suis, hoc est, pro illis perire in carne, et sanguinem fundere.* Cuius sententiae fundamentum s. Hieronymi nititur expositione dicentis in loco iam citato, anathema significare occisionem: unde ubi vulgata editio apud Zachariam legit, *anathema non erit amplius*, Paraphrastes Chaldaicus transfert, *occisio non erit amplius.* Alii interpretes huius loci recentiores, censentes Paulum loqui de vita corporis, quam in sacrificio offerre pro Christo desiderabat, ut suos lucraretur fratres, aiunt, id genus sacrificii fuisse vocatum anathema, rem enim sacram significat anathema: unde sacra pagi-

na vocat anathema, detracta ab hostibus in praeliis spolia, quae Deo sacrabantur, sicut constat ex Iosue: *Sitque civitas haec anathema, et omnia quae in ea sunt.* Quibus suppositis refert Budaeus, aliqua gravi peste civitatem vexante propter peccata civium, si quis eorum pro incolumitate reliquorum immolari volebat, vestiri solitum sacerdotalibus indumentis, et morte damnari, quo pergente ad sacrificium, ceteri exibant clamantes: *Esto piaculum nostrum, esto victima nostra, peccata nostra in te sint.* Itaque onerabatur ille omnium exsecrationibus, ut liberaret totam civitatem a poena, quam Deus peste illa, vel calamitate sumere volebat; quod genus sacrificii anathema vocabatur. Idque innuens Paulus dixit, accensus charitate fratrum: *Optabam ego anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Sed Chrysostomus (*lib* 3. *cap.* 16. *sup. epist. ad Rom.*) hanc expositionem refutat (*in libro de compunctione cordis*), et (*in libris de provid. Dei*), eamque adeo falsam putat, ut dicat: *Vermiculorum est itaque in luto latitantium ista expositio:* et in eodem loco reddit rationem, ob quam praedicta interpretatio sibi non probetur: nam si Paulus optabat a Christo separari pro fratribus suis, optare non debebat mortem, cum per illam Christo magis iungeretur: verba Chrysostomi sunt: *Quomodo optasset Paulus a Christo anathema esse, hoc est, separari ab eo per mortem carnis, cum mors ipsa magis ad eum chorum, qui cum Christo est, coniungat, et ipsius gloria potiri faciat?* Unde concludit Paulum desiderasse, cum illa verba dixit, esse ad tempus privatum clara Dei visione pro salute suorum fratrum: *Ac pro Dei amore, ab ipsa Dei fruitione, et ineffabili gloria excidere.* Ad cuius imitationem dixit s. Martinus: *Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Quam Chrysostomi sententiam s. Thomas (2. 2. *q.* 27. *ar.* 8. *in respons. ad* 1. *arg.*) pariter secutus est. Consideremus etiam Christum in hoc divino Sacramento obedientem Patri mittenti eum, et sacerdotibus consecrantibus, qui postquam verba consecrationis protulerunt, nil cunctatus ad sacerdotis manus temporis momento descendit, *obediente Domino voci hominis:* discamusque Deo, et hominibus propter Deum obedire: hoc enim obedientiae genus excelsum, et maximum est. Pro qua re memini dixisse Chrysostomum, nescire se, utrum magis admiraretur, Abrahae obedientiam, qua Deo obedivit, an Isaac obsequium, quod patri exhibuit, non resistens eius voluntati, etiam si viribus ad resistendum patri valeret, ut coniici potest ex fasce lignorum, quae portavit ad suum cadaver comburendum. Ait itaque Chrysostomus (*ho.* 47. *super Gen.* 22): *Nescio utrum admirer, et obstupescam, istius fortem spiritum Patriarchae, an pueri obedientiam, qui super altare occubuit expectans patris dexteram.* Quaestionem non solvit Chrysostomus, sed meo iudicio videtur excelsior, et praestantior pueri Isaac obedientia, et fortitudo. Primum, quoniam natura duce nemo est, qui propriam vitam pluris quam alienam non faciat: unde patet plus fecisse Isaac vitam propriam, quam Abraham alienam offerendo. Secundo, quia si Abraham obedivit, illa obedientia Deo immediate praestita fuit, qui iusserat, ut filium suum immolaret; Isaac autem obedivit homini propter Deum, quae res difficilior multo est. Consideremus hoc sublime Sacramentum esse vitam bonis, et mortem malis, ut Angelicus Doctor asseruit: et discamus divinae iustitiae legem, qua bonos remunerat, et punit malos, deprimit superbos, et evehit humiles. Quod videtur voluisse significare Philosophus, qui dixit: *Iudicem esse oportere centro similem:* quae verba dupliciter possunt explicari. Primus sensus sit, quod quemadmodum centrum est punctum in medio globi existens; ita iudex medium tenere debet in administratione iustitiae, nec ad unam, nec ad alteram partem declinans. Secundus sensus, et magis proposito nostro conveniens erit, quod sicut centrum minores lineas mittit ad circulum minorem, et maiorem ad maiorem, observans quodammodo iustitiam distributivam; ita iudex, et antistes magis honorabit, et remunerabit dignioremet minus eum, qui minoribus meritis commendatur. Consideremus denique Sacramenti species, quae prius erant viles, et parvi pretii, postea, quoniam sub illis est Christus, tantum dignitatis, et aestimationis adeptas, ut ab omnibus colantur, et adorentur: et discamus magnum esse honorem iustorum, qui sunt viva templa Dei, cum non solum in altera vita, sed in hac etiam ita colantur, et suspiciantur, ut de illis regius Propheta dixerit (*Ps.* 138): *Nimis honorati sunt amici tui Deus.*

HOMILIA XXV.

De cultu, et veneratione, quae huic Sacramento debetur; ac de laudabili publicarum processionum usu, quo ab Ecclesia catholica celebratur.

Sacramentarii haeretici tamquam manifesti hostes divini huius Sacramenti, adversus cultum, et adorationem, qua sancta Romana Ecclesia veram Christi in eo praesentiam speciemque velamento tectam unanimiter veneratur, semper allatraruntet eo tamen illorum rebellio impia, et aversatio abiit, ut multo magis sacrorum Pontificum animi excitati fuerint ad confirmanda catholicorum pectora, ut ardentius, ac diligentius in tam divini Sacramenti cultum, et summam reverentiam incumberent. Sed praetermissis nunc super hac re definitionibus, a multis Conciliis, et praesertim a Concilio Viennensi decretis in Clementina unica de reliquiis, et veneratione Sanctorum, primus omnium Urbanus Quartus felicis recordationis, vigilantissimus Ecclesiae Pastor anno 1263. ad omnia orbis Christiani regna, et provincias Apostolicum diploma, et motum proprium expedivit, quo diem festum publicis laetitiae signis in honorem huius Sacramenti celebrari praecepit: Conciliumque Tridentinum (*sess.* 13. *can.* 6) haereticos esse declaravit, qui usum processionum, quibus Ecclesia catholica hoc sacramentum colit, et adorat, condemnarent: cuius religiosi cultus, et laudabilis consuetudinis rationes assignat (*sess.* 13. *cap.* 5): quae quoniam pietatis, ac sapientiae plenae sunt, illis praesentem homiliam duxi fundandam, et locupletandam. Prima ratio est, *ut Christiani homines singulari ac rara quadam significatione gratos, et memores testentur animos erga Dominum.* Salomon tanti faciebat, quod incolere Deus templum suum dignaretur, ut admirans dixerit (3. *Reg.* 8): *Ergo ne credendum est, quod vere Deus habitet super terram?* Id si percontatus fuisset Salomon a Chaldaeorum philosophis, quibus Nabuchodonosor interpretandum suum proposuit somnium, crediderim responsuros, fieri non posse, ut tam familiariter Dei contubernio homines uterentur, sicut ipsi Nabuchodonosor responderunt: *Exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conversatio.* Sed cum fide catholica constet, Deum ubique esse, prout Deus est, Christumque, prout Deus, et homo est, sub specie panis, et vini, ubicumque eadem consecrata accidentia sunt, pariter adesse, dubium esse non potest, quin, ut dixit Moyses: *Non alia natio tam grandis quae habeat Deus appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Unde propheta Ezechiel, dum Babylone captus erat, cum ei amota cortina, et velamen fuisset, qua gloria, et maiestas templi Dei tegebatur, nihil est magis admiratus, quam quod hominibus Deus incresset: *Et ipse Dominus ibidem.* Quamobrem agnoscens Ecclesia catholica magnitudinem, et excellentiam tam rari, et singularis beneficii, quo nos Christus cumulavit, manens apud nos hoc Sacramento velatus, desiderat se gratam tanto benefactori ostendere; et ideo sicut altera Rebecca, quae acceptas a sponso *inaures, et armillas in manibus suis* portabat, sponsi sui glorians muneribus, in sacro, et solemni huius Sacramenti die in manibus suis, quae sunt sacerdotum manus, deferi pretiosa dona, et omni aestimatione maiora, pignora corporis, et sanguinis Christi, quae ipse tempore sui recessus ei veluti sui amoris arrham largitus est: idque ut maiori cum pompa, et solemniori apparatu faciat, quod in Hispania maxime vigel, vias sternit tapetibus, solum floribus spargit, avulsos arboribus ramos disponit, arcus erigit triumphales, colossos mysticos, et statuas fabricatur, quibus huius divini Sacramenti mysteria insinuentur; Samsonis leonem, favum mellis ore tenentem; petram oleo stillantem; manna instar roris de caelo descendens; racemum ab exploratoribus terrae promissionis allatum; Melchisedech panem, et vinum offerentem; Agnum paschalem pro Aegypti exitu; caprum emissarium pro remissione peccatorum; Cererem Deam cum spicis, et Bacchum cum racemis: quibus adduntur aenigmata, et hieroglyphica; carminum varia genera; instrumentorum musicorum harmonia; tibiarum, tympanorum, et tubarum soni; citharaarum, et barbitorum, innumerabiliumque suavissime undequaque personantium instrumentorum concentus, dissimiliumque cantorum, variis, gratissimisque vocibus aerem mulcentium; tormentorum explosiones, quorum strepitu, ut sulphureo fumante pulvere salutatur divina huius Sacramenti maiestas; saltantes choreae, ac laeta tripudia; comoediarum recitationes, et alia id genus signa laetitiae, et ingeniosa inventa, quibus omnes fere christiani orbis nationes ad exhibendam huic Sacramento debitam reverentiam utuntur: erectis quoque in tanto triumpho vexillis, et crucibus habitae victoriae insignibus, coruscantibus undequaque facularum infinitarum ignibus, dum sacerdotes vestibus auro intextis ornati, pretiosissimis ex argento, et auro pyxidibus impositum hoc divinum Sacramentum deferunt per vias publicas, et in genua procidentes omnes Christi fideles legitimum suum Regem, naturalem Dominum, Creatorem, et Redemptorem venerantur, et adorant, gratias agentes iuxta tres gratitudinis gradus, qui a Theologis numerantur, interna videlicet animi cogitatione, externa oris confessione, et operis satisfactione.

Secunda ratio, quam s. Synodus Tridentina assignat ad celebrandam tanta cum maiestate divini huius Sacramenti solemnitatem, est, quoniam per illud victoria, et triumphus Christi, per crucem adversarios suos debellantis, nobis ante oculos ponitur: ait enim Tridentina Synodus: *Hoc divino beneficio mortis Christi victoria, et triumphus repraesentatur.* Et cum Christi victoria tanto sui impendio, et tanta cum utilitate nostra fuerit peracta, iure optimo praecipit Ecclesia catholica caelesti admonita consilio, ut nos, quorum res in hoc Sacramento agitur, memoriam eius repetamus, diem festum agentes. Adeo semper placuit gratitudo, ut quoties aliquod in homines olim conferebat beneficium, illico iuberet diem festum institui, vel sacrificium, seu aliud externum laetitiae fieri signum, quod accepti beneficii memoriam, et gratitudinem in animis hominum, qui facile obliviscuntur, intermori non permitteret. Agnus paschalis memoria fuit exitus Israel ab Ægypto: eucaenia repraesentabant templi instaurationem: vas aureum plenum manna symbolum erat panis angelorum, quem de coelo missum homo manducat. Hinc etiam, ne tam rarum et singulare beneficium, quale fuit Iordanis fluvii sisti undas, ut sicco, et tuto pede sacerdotes transirent arcam portantes, oblivione deleretur, imperavit Deus Iosue, ut viros ex quavis tribu eligeret duodecim, qui ad totius populi conspectum, duodecim lapides de Iordane erutos eligerent; sciensque ille, quantum Deo placerent externae significationes gratitudinis, columnas duodecim in aqua, et totidem in terra erexit, ut utrobique accepti beneficii recordatio vigeret. Scimus egressum arca Noe statim Deo immolasse sacrificium, quod se, ac suos ab aquarum eluvione liberasset. Notum quoque est, magnum Patriarcham Ioseph ita gratum Deo ob accepta ab ipso liberaliter beneficia fuisse, ut diceret (*Genes.* 45): *Deus fecit me dominum universae terrae Pharaonis:* non dixit, constituit me Pharao Ægypti proregem, aut ego mihi paravi, vel acquisivi proprio consilio, et viribus; sed *Deus fecit me dominum universae terrae Pharaonis,* profitens ab ipso tantam ac-